



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ephesini Concilii Generalis Pars III. Sub Cælestino papa I. anno CCCCXXXI.

**Parisiis, 1644**

Quam ob causam exinanitaum dicatur Dei verbum. Cap. V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15241**

*Quam ob causam exinanitum dicatur Dei Verbum.*

CAP. V.

P LENV M secundum naturam , & ex omni parte perfectum Deum Verbum , & distribuens ex sua plenitudine bona sua creaturæ , exinanitum dicimus , nihil in natura propria violatum , nec vt aliter se haberet commutatum , nec inferius ex illa parte factum . Inconuertibile enim & immutable est ipsum quoque , sicut generator ipsius , & nunquam fuit passionis ullius capax . Quod vero factum sit caro , id est homo , eo quod ait : *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem* ; humanitatis paupertatem propriam fecit : primum , quia semel homo sit factus , et si remanserit Deus ; deinde , quod serui formam accepit , qui secundum suam naturam liber est , vtpote filius : & cum ipse sit gloriae Dominus , gloriam dicitur accipere : cum sit ipse vita , viuificari dicitur : & in omnes accepit potestatem , cum sit ipse rex omnium : cum Deo simul & Patri obediens fuit , crucem est passus . Verum cum haec quidem humanitatis mensuræ conueniant ; tamen ea familiaria dicit esse cum carne , & implet dispensationem , manens quod erat .

*Quomodo unus Christus . CAP. VI.*

D IVINVS Paulus scribit : *Etsi sunt dii multi , & domini multi in celo & in terra ; sed nobis unus Deus Pater , ex quo omnia , & nos ex eo ; & unus Dominus Iesus Christus , per quem omnia , & nos per eum .* At vero sapientissimus Ioannes de Deo Verbo dixit , quod *omnia per ipsum facta sunt , & absque eo factum est nihil .* Euangelizabat autem beatus Gabriel sanctæ Virgini , dicens : *Ecce concipies in utero , & paries filium ; & vocabis nomen eius Iesum .* Cum igitur per Christum Iesum omnia diuinus Paulus facta esse commemoret ; confirmet autem vim sententiae , & opificem omnium fuisse Deum euangelizet , rem veram dicens , euangelista diuinus ; designet autem etiam angeli vox , vere ex sancta Virgine natum esse Iesum Christum : nec absque humanitate intelligimus Deum Verbum , sed unum dicimus ex ambobus effectum , & Deum hominem factum ; eundem ex Patre , vt Verbum , natum diuine ; & ex muliere humane , vt hominem : non tamquam in secundum substantię initium vocatum , tunc cum secundum carnem dicitur natum ; sed natum quidem ante omnia saecula , stante tamen tempore quo debuerat implere dispensationem , natum etiam ex muliere secundum carnem . Ergo etsi alii simili appellatione vocati sunt christi ; unus tamen est , per quem omnia , Iesus Christus : non quod homo sit factus opifex omnium , sed quod Deus Verbum , per quem omnia facta sunt , similiter ac nos participarit carni & sanguini , & nuncupatus sit homo , non tamen perdiderit esse quod erat . Ita enim & in carne factus , intelligitur merito opifex omnium .